

LUCRÈCE *De Natura rerum*, Livre I, vers 159-173

Rien ne naît de rien

C'est le début de l'exposé, par Lucrèce, de la physique d'Épicure.

Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
omne genus nasci posset, nil semine egeret.
E mare primum homines, e terra posset oriri
squamigerum genus, et volucres erumpere caelo ;
armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum,
incerto partu culta ac deserta tenerent.
Nec fructus idem arboribus constare solerent,
sed mutarentur ; ferre omnes omnia possent.
Quippe, ubi non essent genitalia corpora cuique,
qui posset mater rebus consistere certa ?
At nunc seminibus quia certis quaeque creantur,
inde enascitur atque oras in luminis exit
materies ubi inest cujusque et corpora prima ;
atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
quod certis in rebus inest secreta facultas.